



BOLETÍN ECLESIAÍSTICO  
DEL  
OBISPADO DE SALAMANCA

SUMARIO

- I.—Resoluciones de la Congregación del Indice, sobre algunas dudas, acerca de la Constitución *Officiorum ac munerum*.—II. Decreto de la Sagrada Congregación de Obispos y Regulares, concediendo á los Terciarios Dominicos que el título *mensae communis* pueda servirles de Patrimonio para las Sagradas Órdenes.—III. Resolución de la Congregación de Indulgencias, sobre algunas dudas, acerca del escapulario del Carmen.—IV. Adiciones y variaciones en las rúbricas generales y particulares del Misal Romano.—V. Suscripción en favor de los pueblos inundados en la diócesis de Palencia.

E SACRA CONGREGATIONE INDICIS

*Varia solvuntur Dubia circa Constit. Officiorum*

Cum circa Constitutionem *Officiorum ac munerum* huic Sacrae Indicis Congregationi sequentia dubia proposita fuerint, videlicet.

1. Utrum haec verba articuli 5 «*qui studiis theologicis aut biblicis dant operam*» intelligenda tantum sint de doctis viris, iis scientiis deditis, aut ex eisdem valeant ad universos S. Theologiae Tyrones?

2. An opera (quae permulta sunt) erroribus infecta a

Syllabo damnatis, verbis art. 14 prohibita censeantur quatenus errores ab Apostolica Sede proscriptos continentia?

3. Utrum excerpta e periodicis capita seorsim edita (*vulgo, tirages a part*) censeri debeant «*novae editiones*», atque proinde nova approbatione indigeant, prout art. 44 requiruntur?

4. Utrum dicta Constitutio vim obligatoriam habeat etiam pro regionibus britannici idiomatis quas tacita dispensatione frui quidam arbitrantur?

Sacra Congregatio omnibus mature perpensis, sub die 19 Maii 1898 respondere mandavit:

Ad 1.<sup>am</sup> *Negative* ad 1.<sup>am</sup> partem; *Affirmative* ad 2.<sup>am</sup>

Ad 2.<sup>am</sup> *Affirmative*: si hos errores tueantur seu propugnent.

Ad 3.<sup>am</sup> *Negative*.

Ad 4.<sup>am</sup> *Affirmative*.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Cong. Indicis die 23 Maii 1898.

A. CARD. STEINHUBER, *Praef.*

L. † S.

FR. M. CICOGNANI, *O. P. Secret.*

## EX EADEM SACRA CONGREGATIONE INDICIS

Duo solvuntur dubia circa Const. «*Officiorum ac munerum*».

Cum huic Sacrae Indicis Congregationi sequentia Dubia super constitutione *Officiorum ac munerum* solvenda proposita fuerint, nimirum:

1. Utrum sub nomine eorum qui Studiis theologicis vel biblicis dant operam veniant etiam alumni, qui theologiae et linguae Hebraicae ac Graecae in scholis Seminariorum vacant? Et quatenus affirmative.

2. Utrum possit Episcopus permittere ut in scholis alumni, sub ductu professoris, textus hebraicos et graecos ab acatholicis editos legant et vertant, dummodo non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus talium librorum catholicae fidei dogmata? (1).

Eadem Sacra Congregatio sub die 18 Junii 1898 iisdem Dubiis mature perpensis, respondendum censuit.

Ad 1.<sup>um</sup> *Affirmative.*

Ad 2.<sup>um</sup> *Negative*, nisi specialem a S. Sede facultatem obtinuerit.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 21 Junii 1898.

A. CARD. STEINHUBER, *Praef.*

L. † S.

FR. M. CICOGNANI, O. P., *Secret.*

---

## E SACRA CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

---

### ORDINIS PRAEDICATORUM

**In Congregatione Tertiariorum Dominicanorum, conceditur ut  
titulus mensae communis, possit tenere locum patrimonii,  
pro S. Ordinatione.**

*Beatissime Pater*

Fr. Hyacinthus M.<sup>a</sup> Cormier Ordinis Praedicatorum  
Procurator Generalis, ad pedes Sanctitatis Vestrae humilissime provolutus, exponit ea quae sequuntur. Existit in Gal-

---

(1) Hic non agitur de alumniis qui studiis theologicis vel biblicis dant operam. (Not. Ephem. *Analecta Ecclesiastica*)

lia Congregatio Tertiatiorum Dominicanorum collegialiter viventium, quam pro educanda juventute condidit clarissimus P. Lacordaire et Reverendissimus P. Jandel Ordinis magister omnimodis curis fovit, sapienter sic providentibus his illuminatis viris ut, dum primi Ordinis Fratres, claustralibus observantiis instructi, ministerio verbi, lectionibus philosophiae et theologiae, operumque tam apologeticorum quam scripturalium aliorumve hujusmodi incumbunt, Tertii Ordinis alumni aliam agri Domini portionem (et quidem hodie maximi momenti), specialibus ad hunc finem disciplinis informati excolant, adolescentulos scilicet vitae christianae moribus imbuendo, et ad omnia civilis consortii officia perite viriliterque obeunda praeparando. Tertiarii huic Congregationi addicti non jam solemnia vota, licet ipsis ex antiquo jure liceret, sed simplicia, primum triennalia dein perpetua sub obedientia et jurisdictione Magistri Ordinis emittunt, et sic constituti variis a Sedis munificentia favoribus sunt insigniti, inter quos facultas utendi ritu Ordinis, quippe qui ejus vera pars, imo nobilis ramus sunt; et facultas pro determinatis casibus praesentandi ad Sacros Ordines juvenes votorum etiam triennialium qui hoc pacto servitii militaris effugerent injurias, eorum Congregationi incorporatione, licet imperfecta, computata ut *titulus mensae communis*. Et hac profecto S. Sedis postrema facultate, in gratiam professorum votorum triennialium indulta, patet professis perpetuis *titulum mensae communis* ad susceptionem S. Ordinum multo magis competere, sicuti de facto in praxi habetur. Attamen ut omnia recte et clare disposita, de bono in melius procedant, supradictus Procurator Generalis, postquam Magistro Generali, ex visitatione canonica domorum Congregationis recenter peracta constitit, statum ejusdem temporalem ad id superabundanter sufficere,

suppliciter petit, a Sanctitate Vestra concedi et declarari alumnos laudatae Congregationis Tertiariorum collegialiter viventium, ad Sacros Ordines regulariter *titulo mensae communis* praesentari posse, servatis de cetero, tam circa praesentationem a competenti superiore regulari peragendam quam circa suspensionem *ipso facto* a relinquentibus Congregationem incurrendam, omnibus quae statuit et sancivit S. Sedes Apostolica pro modernis Institutis votorum simplicium.

Et Deus.....

Vigore specialium facultatum a Sanctissimo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis, facultatem tribuit P. Superiori Generali enunciati pii Instituti indulgendi Alumnis suis, ut loco sacri patrimonii, ordinari valeant titulo mensae communis, quatenus alia omnia requisita concurrant, a Decreto *Auctis admodum praescripta*; ita tamen ut si ab Instituto dimittantur vel dispensationem super votis simplicibus obtineant, suspensi ab exercitio susceptorum Ordinum maneant, donec Episcopum benevolum receptorem invenerint, et sacrum patrimonium sibi constituerint. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae 22 Decembris 1897.

† S. CARD. VANNUTELLI, *Praef.*

Loc. † Sigil.

A. TROMBETTA, *Secr.*



## E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

BURGI S. DONNINI

**Varia solvuntur Dubia circa formam, adscriptionem et impositionem scapularium.**

Huic Sacrae Indulgentiarum et SS. Reliquarum Congregationi sequentia dubia dirimenda sunt proposita:

I. Utrum in adscribendis Christifidelibus Sodalitati B. Mariae Virginis a Monte Carmelo adhiberi licite et valide possint scapularia quae quamvis ex lana confecta, cooperiuntur tamen ex una parte tela serica vel gossypio, ex altera vero, imagine quae totum vel fere totum cooperit scapulare, ita ut pannus penitus, aut quasi penitus non appareat?

II. Quid tenendum quando unum scapulare refert imaginem B. Mariae Virginis de Monte Carmelo, alterum, quod vitta conjungitur, Imaginem B. Mariae Virginis Perdolentis, SSmi. Rosarii vel etiam SSmi. Cordis Jesu?

III. Utrum nomina adscriptorum Confraternitati, necessario ad viciniorem Confraternitatem mittenda sint, vel potius liberum sit ea transmittere Moderatori cujuslibet Confraternitatis?

IV. Utrum in adscriptione plurium, formula unica in numero plurali, quae ex Decreto S. C. Indulg. die 18 Aprilis 1891 adhiberi potest, dicenda sit antequam incipiatur impositio vel potius dum primo fit impositio?

V. Utrum in casu supra exposito, cum generatim adscribendi sint viri et mulieres, conveniens sit dicere: «*Accipite viri et mulieres*», vel simpliciter «*accipite hunc habitum*», prout est in formula brevii approbati in Decreto S. R. C. diei 24 Julii 1888?

Porro S. Congregatio, audito unius ex Consultoribus voto, relatis dubiis respondendum mandavit:

*Ad 1.<sup>um</sup>* Negative.

*Ad 2.<sup>um</sup>* Nihil officere valori scapularis Imaginum varietatem, dummodo in scapulare appareat color, forma et pannus, quae uti substantialia sunt retinenda, exceptis tamen scapularibus SSmae. Trinitatis et Passionis D. N. J. C. in quibus imagines propriae sunt necessariae.

*Ad 3.<sup>um</sup>* Negative ad 1.<sup>am</sup> partem; affirmative ad 2.<sup>am</sup> partem.

*Ad 4.<sup>um</sup>* Formulam in casu dicendam esse, immediate antequam scapularia imponi incipientur, eaque sacerdote in manibus tenente.


*Ad 5.<sup>um</sup>* Si viri a mulieribus facile segregari possit, et duplici actu functio peragi possit, quod certe foret convenientius, tunc, prout de more, adhiberi posset formula longior, mutatis mutandis. Si vero unico actu promiscue viri cum mulieribus sint aggregandi, tunc ad precavendam caecofoniam, formula brevior melius adhiberetur, dicendo tantum «*Accipite hunc habitum, etc.*»

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 18 Junii 1898.

Fr. HIERONYMUS M.<sup>a</sup> Card. GOTTI, *Praef.*

L. † S.

ANT. Arch. ANTINOEN., *Secrius.*



## ADDENDA ET VARIANDA

IN RUBRICIS GENERALIBUS ET SPECIALIBUS MISSALIS ROMANI  
EX DECRETO DIEI 11 DECEMBRIS 1897

In Rubricis generalibus

PARS I.

### III.—*De Feria et Vigilia*

N. 1. Missa de Feria dicitur... *usque ad verba alia de Feria post Nonam.* «Missae autem Feriarum majorum occurrentium celebrari possunt etiam in Festis semiduplicibus».

### V.—*De Missis Defunctorum*

N. 2. Praeterea Feria secunda... *usque ad verba praeterquam in Festis Duplicibus, et Dominicis diebus.* «Missae privatae pro Defunctis ut in die obitus seu depositionis etiam in Duplicibus celebrari possunt praesente, insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere; exceptis Duplicibus primae classis, diebus Duplicia primae classis excludentibus, et Festis de praecepto».

N. 3. «Una tantum Oratio dicenda est in Missis omnibus, quae celebrantur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, die et pro die Obitus seu Depositionis, atque etiam in Missis cantatis vel lectis, permittente ritu, diebus Tertio, Septimo, Trigesimo et die Anniversario alicujus Defuncti, necnon quandocumque pro Defunctis Missa solemniter celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondet, uti in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicujus obitu, et in Anniversariis late sumptis».



*Deinde addatur:*

N. 4. «In Missis quotidianis quibuscumque sive lectis, sive cum cantu plures sunt dicendae Orationes, quarum prima est pro Defuncto vel Defuncti, certo designatis, pro quibus sacrificium offertur, ex iis quae infra in Missali habentur, secunda ad libitum, ultima pro omnibus Defunctis. Si vero pro Defunctis in genere Missa celebretur, Orationes sunt dicendae, quae pro Missis quotidianis in hoc Missali prostant, eodemque ordine, quo sunt inscriptae. Quod si in iisdem quotidianis Missis plures Orationes Celebranti placuerit recitare, ut de Feriis et Simplicibus dicetur infra in Rubrica de Orationibus, id fieri potest tantum in Missis lectis, impari cum aliis praescriptis servato numero, et Orationi pro omnibus Defunctis postremo loco assignato».

N. 5. Sequentia pro Defunctis dicitur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, et Depositionis, Defuncti, «in quibusvis cantatis Missis, uti etiam in lectis quae diebus ut supra privilegiatis fiunt: in reliquis autem Missis vel recitari vel omitti potest ad libitum Celebrantis».

*VI.—De Translatione Festorum*

In dicendis Missis servetur Ordo Breviarii de Translatione Festorum Duplicium, quando majori aliquo Festo, seu Dominica impediuntur. In Ecclesiis autem ubi Titulus est Ecclesiae, vel concursus populi ad celebrandum Festum quod transferri debet, possunt cantari duae Missae, una de die, alia de Festo: excepta Dominica prima Adventus, Feria quarta Cinerum, Dominica prima Quadragesimae, «Dominica Passionis», Dominica Palmarum cum tota Hebdomada majori, Dominica Resurrectionis «cum sequenti biduo Dominica in Albis», Dominica Pentecostes «cum duabus sequentibus Feriis, Dominica Ssmae. Trini-

tatis», die Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis et Festo Corporis Christi.

VII.—*De Commemorationibus*

N. 5. In faciendis Commemorationibus servetur ordo ut in Breviario. «Primo loco illae Commemorationes praeponuntur quae ad Officium cujuscumque ritus pertinent; exceptis illis, quae ab Officio de quo agitur, numquam separatur. Deinde: 1, de Dominica privilegiata; 2, de die Octava; 3, de Duplici majori; 4, de Duplici minori ad instar Simplicium redacto; 5, de Dominica communi; 6, de die infra Octavam Corporis Christi; 7, de Semiduplici; 8, de die infra Octavam communem ad simplicem ritum pariter redacto; 9, de Feria majori, vel Vigilia; 10, de Simplici»: de Festo Simplici «fiat Commemoratio» ante Orationes quae secundo, vel tertio loco dicendae assignantur: et hae dicantur ante Orationes votivas; in quibus votivis servetur deinde dignitas Orationum, ut de Sanctissima Trinitate, de Spiritu Sancto, de Ssmo. Sacramento, de S. Cruce ante votivam de B. Maria, et de Angelis, de S. Joanne Baptista et S. Joseph ante Apostolos, et similiter in aliis.

PARS II.

I.—*De praeparatione Sacerdotis celebraturi*

N. 4. Si Celebrans sit Episcopus, non ducit stolam ante pectus, etc.

V.—*De Oratione*

N. 2. Cum nominatur nomen JESUS, caput, versus Crucem inclinatur: quod etiam facit cum nominatur in Epistola. Et similiter ubicumque nominatur nomen B. Mariae, vel Sanctorum, de quibus dicitur Missa, vel fit Commemoratio: item in Oratione pro Papa, quando nominatur, semper ca-

put inclinatur, non tamen versus Crucem; «nisi in loco principali Altaris habeatur simulacrum vel imago B. M. V. aut Sancti, ad quam caput inclinatur.» Si plures Orationes sint dicendae, idem in eis, in voce, extensione manuum, et capitis inclinatione, quod supra dictum est, observatur.

*VII.—De Offertorio, et aliis usque ad Canonem*

N. 5. Imposita aqua in Calice et finita Oratione praedicta accipit, etc... In spiritu humilitatis. Postea erectus, elevans oculos, manusque expandens «easque in altum porrectas,» et statim jungens ante pectus, etc.

*VIII.—De Canone Missae usque ad Consecrationem*

N. 1. Finita Praefatione, ut supra, Sacerdos stans ante medium Altaris versus ad illud, «extendit et» aliquantulum elevat manus oculisque elevatis ad Deum, etc.

*XII.—De Benedictione in fine Missae, et Evangelio  
Sancti Joannis*

N. 7. In Missa solemniter Celebrans eadem voce et modo quo in Missis privatis, semel tantum benedicit populo, nisi sit Episcopus, vel Abbas «pontificaliter celebrans,» ut infra: et dicto Evangelio, etc.

---

In Rubricis specialibus

---

*I.—Dominica II Adventus et Feria VI. Quatuor Temporum  
Adventus*

*Offertorium Ps. 84*

Deus, tu «conversus» vivificabis nos etc.

II.—*In Festo Ss. Innocentium. In fine Missae*

Si Festum S. Thomae impediatur a Dominica etc.  
«Expungatur integra.»

III.—*In Festo S. Thomae Episc. Mart. In fine Missae*

Si Festum Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Joannis Evangelistae, et Ss. Innocentium «occurrerit» In Dominica, ipsa die nihil fit de Dominica; sed die proximo post Festum S. Thomae Mart. dicitur Missa de Dominica. Si autem Festum S. Thomae «occurrerit in Dominica, Missa dicitur de Festo cum Commemoratione ejusdem Dominicae et quatuor Octavarum, et legitur Evangelium Dominicae in fine.»

4.—*In fine Missae de Octava Nativitatis Domini*

Si Festum S. Silvestri venerit in Dominica, dicitur Missa de eo, cum Commemoratione Dominicae et Octavarum, «et legitur Evangelium Dominicae in fine».

---

S. Silvestri I Papae, Conf.

5.—*Post Festum Epiphaniae Domini*

«Si Festa duplicia primae classis occurrat infra Octavam, non tamen in die Octava de eis dicitur Missa cum Commemoratione Octavae: de aliis vero Festis, exceptis Simplicibus, de quibus fit Commemoratio, nihil fit; sed peracta Octava perpetuo celebrantur. In die vero Octava, Missa semper de eadem dicitur, translato etiam duplici primae classis, quod post eandem Octavam perpetuo recolitur; de Simplici autem occurrente fit tantum Commemoratio».

6.—DIE 7. DECEMBRIS

*Post Missam S. Ambrosii Episc. Conf., et Eccle. Doct.*

*Addatur:*

«Hodie in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis dicuntur duae Missae, una de Sancto sine Commemoratione Ferie et Vigiliae, altera de Vigilia uti sequitur».

7.—DIE 11 DECEMBRIS

*In Missa S. Damasi I. Papae, Conf. et die 13. Decembris in Missa S. Luciae Virg. et Mart. Post Secretam.*

*Addatur:*

«Praefatio de B. Maria Virg.» *Et te in Conceptione Immaculata.*

8.—DIE 23 FEBRUARII

*Post Missam S. Petri Damiani Episc., Conf. et Eccl. Doct.*

*Addatur:*

«Hodie extra Quadragesimam in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis dicuntur duae Missae, una de Sancto sine Commemoratione Vigiliae, altera de Vigilia cum secunda Oratione *Concede...* tertia *Ecclesiae*, vel pro Papa.

9.—DIE 19 MARTII

*In Missa S. Joseph, Conf. Sponsi B. M. V.*

*Post Graduale, etc. In Missis votivis, etc.*

«Integra expungatur».

10.—DIE 25 MARTII

*Post Missam Anuntiationis B. Mariae Virginis*

«Si hoc Festum venerit Feria VI. in Parasceve vel Sabato Sancto, transferendum erit in Feriam II. post Dominicam in Albis tamquam in sedem propriam, integra cum solemnitate ac feriacione et sine Octava, servato tamen

ritu Paschali. Si vero occurrerit in Dominica Passionis, transferatur in feria II. immediate sequentem: quodsi incidat in Hebdomadam Majorem vel Paschalem, ad enuntiatam Feriam II post Dominicam in Albis amandetur, ac nonnisi Festo primario ejusdem ritus occurrente valeat impediri, quo in casu in sequentem diem similiter non impeditam transferatur».

11.—FERIA VI. POST DOMINICAM PASSIONIS

*Post Missam Septem Dolorum B. Mariae Virginis*

«Quando Festum Septem Dolorum B. M. V. hac Feria celebrari nequit ob occursum alicujus Festi altioris ritus, aut aequalis sed primarii, vel potioris dignitatis», transferendum «est in» Sabbatum immediate sequens, «simili modo non impeditum. Quod si neque in dicto Sabbato celebrari potuerit, eo anno omittatur».

12.—DIE 1. JULII

*Post Missam Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.*

Si hodie occurrat Festum Visitationis B. M. V. «vel» aliud Festum «altioris ritus aut» aequalis «sed primarium» de Pretiosissimo sanguine fiet prima die, etc.

13.—DIE 8. SEPTEMBRIS

*In Missa Nativitatis B. Mariae Virginis.*

In Rubrica et Orationibus pro S. Hadriano Mart. nomen ipsius S. Mart. *Adriani, Adriano* corrige «Hadriani Hadriano».

14.—DIE 9. SEPTEMBRIS

*In Missa S. Gorgonii Mart. — Post Orationem Sanctus tuus, etc.*

Tertia Oratio de Spiritu Sancto *Deus qui corda fidelium* «Dein expungatur quae sequuntur».

15.—DIE 11. SEPTEMBRIS

*Post Orationes Ss. Proti et Hyacinthi Mm.*

Tertia Oratio de Spiritu Sancto *Deus, qui corda fidelium. «Reliqua expungatur ut supra».*

16.—DOMINICA III. SEPTEMBRIS.

*Post Missam Septem Dolorum B. M. V.*

Impedita Dominica III. Septembris ob occursum «Festi Duplicis 1. vel 2. classis, vel alicujus» diei Octavae, «vel Duplicis majoris primarii, aut potioris dignitatis», Festum Septem Dolorum transfertur in proximorem Dominicam «simili modo non impeditam». Quod si usque ad Adventum nulla supersit Dominica libera, Festum Septem Dolorum ponatur, juxta Rubricas, in prima die non impedita post Dominicam III. Septembris.

Si Festum Ss. Cornelii et Cipriani occurrat in Feria IV. Quatuor Temporum, in Missa Ss. Cornelii et Cypriani fit Commemoratio de Feria, postea de S. Euphemia etc. Et in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis dicuntur duae Missae, una de S. Cornelio et Cypriano, in qua fit Commemoratio S. Euphemiae etc., altera de dicta Feria sine Commem. Ss. Martyrum.

17.—*In Missa de Communi Doctorum Postcommunio*

«Pro Doctore Pontifice».

Ut nobis, Domine, tua sacrificia dent salutem: beatus N. «Pontifex tuus» et Doctor egregius, «quaesumus», pre-cator accedat. Per Dominum.

«Pro Doctore non Pontifice».

Ut nobis, Domine, tua sacrificia dent salutem: beatus N. Confessor tuus et Doctor egregius, «quaesumus», pre-cator accedat. Per Dominum.

18.—*Post Missam de Dedicacione Ecclesiae*

In ipsa die Dedicacionis Ecclesiae «et per Octavam, et quando varianda est Oratio ob occursum Dedicaciones alterius Ecclesiae», Missa dicitur ut supra in Anniversario Dedicacionis, exceptis Orationibus, quae dicuntur ut sequitur.

PRO ALIQUIBUS LOCIS

19.—DIE 15. MAJI

*In Missa S. Isidori Agricolae Conf. Postcommunio*

Sit nobis, Domine, reparatio mentis et corporis coeleste mysterium: et praesta; ut «cujus exequimur cultum, intercedente Sancto Isidoro Confessore tuo», sentiamus effectum. Per Dominum.

---

SUSCRIPCIÓN

en favor de los pueblos inundados en la diócesis  
de Palencia

---

	Pesetas
Excmo. é Ilmo. Sr. Obispo de Salamanca. . . . .	50
M. I. Sr. D. Ramón Barberá, Arcipreste. . . . .	5
» » Juan Antonio Vicente Bajo, Chantre. . . . .	10
» » Pedro G. Repila, Maestrescuela. . . . .	5
» » Calixto Lajas, Canónigo Doctoral. . . . .	5
TOTAL. . . . .	75

(Continuará)

---

SALAMANCA.—Imp. de Calatrava, á cargo de L. Rodríguez.—Teléfono 17